



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Responsa De Ivre Canonico Præsertim Novissimo

Zype, Frans van den
Antverpiæ, M. DC. XLV.

De decimis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73071)

ferente, transferente ad parochos quasdam catechizationes alijs pridem antè commissas. Vide quid in Gallia declaratum sit an. 1633. apud R. Belley, *Ex la Revision de l'aduis d'un docteur.*

Neque verò satis d. clementinæ congruit, aut rationi; quod quidam videantur dicere, si stationes illis auferantur, recursuros sese ad Concilia regia: vt in illarum possessione manu-teneantur: quia satis clarum est sine alio titulo non competere beneficium possessorium: nec est vllus hic Ordo, qui proferet alium possessionis titulum. sed potius obstant Concordata in quibus promiserunt seruare d. clementinam *audum.*

Quin & si Romæ tales minæ & recursus indicarentur, possent Generalibus Ordinibus à Papâ ea iudici, quæ huiusmodi proposita succiderent. vt nonnunquam accidit.

De Decimis.

RESPONSVM I.

An decimæ agnorum sequantur conditionem prædij?

I.
An quota agnorum sequatur quoram frugum prædij.

IN pago N. soluuntur decimæ agnorum: & in eodem est prædium feudale, quod soluit solummodo manipulum trigessimum tertium ex fructibus prædialibus: parochus nascentibus in eo prædio agnis exigit vndecimum: colonus offert trigessimum tertium, ad ratam prædialis decimæ; contendit vltèrius se non teneri.

Parochus procul dubio fundatam habet intentionem in iure communi quoad decimum; in consuetudinario hîc quoad vndecimum agnum.

Omnis ergo quæstio ex eo dependet, an rata consuetudinaria prædij affectet aut transeat ad agnos; seu ius ipsum reale prædij

communicetur isti animalibus in prædionatis, an verò huiusmodi animalium species regentur communi iure pagi consuetudinario?

Pagi inquam: quia edicta Caroli V. quæ agunt de nouis & in solitis frugibus decimandis, semper mentionem faciunt pagi: vt illius per annos quadraginta recepta consuetudo in decimandis frugibus sit seruanda: vt etiam pullorum decimas solui velit natuorum in prædio nouali, si in pago pullorum decimæ soluuntur.

Mobilia, sanè vt sunt animalia, dicuntur sequi conditionem personæ cuius sunt, non glebæ aut loci vbi sunt: imò censentur esse in loco domicilij eius, cuius sunt. *Burgund. ad consuet. Fland. tract. 1. n. 21.* ideoque loci illius statuto subijci. *idem ibid.*

Adeoquæ inferri rectè videtur agnos in eo loco natos, vbi vendimus parochi soluitur, iure consuetudinario pagi debere decimari, non ad ratam prædij.

Et quamquam glossa in c. ab Apostolica X. de decimis animalium decimas magis annumeret prædialibus, quam personibus: tamen *ibidem* etiam asserit, vt & alij Doctores, quos etiâ sequitur *Waldens. mes. de decim. cons. 445. n. 4. Morru. de decim. c. 4. n. 16. 17.* animalium decimas deberi non vbi stabulantur, sed vbi pascuntur; aut etiam diuidi inter vtramq; parochiam. *Vide Rebuff. de decim. q. 8. n. 11. q. 8. n. 2.*

Vnde sequi videtur decimandi modum & ratam etiam redigendam esse ad consuetudinem loci vbi soluenda est decima. entergo videndum an iste grex ouium non soleat pasci in locis parochiæ, vbi integræ decimæ soluuntur.

Sed obijci possit *ex l. 2. de verb. sig. gregem haberi per modum accessionis ad prædium, vt equos & boues ad arandum; vaccas, oves ad stercoreandum. l. cum quidam D. de fund. instrum. instrumenta autem fundi*

RESPONSVM II.

*Hodie decimas in laicos etiã
via permutationis trans-
ferri non posse.*

fundi vt accessoria sequi conueni-
re conditionem fundi principalis,
vt boues illius loci in quo laborant.
d. l. cum quidam. sed præterquam
quod dici possit hæc animalia non
haberi omnino vt instrumenta
prædij; sed pro œconomia, & arbi-
trio coloni; manifestum est in ma-
teria decimarum equos, boues, &
vaccas non sequi conditionem
prædij, aut vllatenus hîc decimari;
adeoque nec hîc gregem ouium
fundi naturam sequi debere, aut
prædio quoad quotam decimarum
pariari.

Nihilominus hoc argumento
vltus est Wames. *de decim. conf. 441.*
n. 11. sed non ad eum effectum,
sed vt censentur animalia illi pa-
rocho debere decimas, cui & præ-
dium in quo stabulantur.

Verum *ibid. n. 10.* ait consuetu-
dinem ibi probatam esse, vt ibi
debeant agni decimari, vbi sta-
bulantur, non vbi pascuntur: sed
videtur de consuetudine speciali
locorum, non generali agere: quia
in alijs consilijs sepius ingerit con-
siderationem loci, vbi pastæ fue-
rint oves. *c. 450. n. 1. 3. de decim.*

Et singulatim alibi: *vbi pastoris
inuentio,* inquit, *sine vlllo impedimen-
to erit bene fundata contra colonos; ea
potissimum etiam consideratione, quod
animalia publicis & communibus pas-
cus, non tantum quæ conducti titulo
possidentur, sed etiam alijs plerumque
alantur; & sic ratione prædij, vbi sta-
bulantur, hanc immunitatem habere
non debeant.*

Quibus verbis satis videtur de-
cidere à prædio, vbi stabulantur
animalia, his non imprimi immu-
nitatem; vt ibi omnimodam (agit
enim de Cisterciensibus) ita nec
hic aliqualem: scilicet quoad mi-
nutiorem quotam.

Decimarum, spiritualiumque
iurium laicos esse incapaces
passim receptum est: *c. decimas. 16.*
q. 2. c. causam. de præscript. c. 2. de Iud.
vtilitatem tamen temporalem,
conductionis titulo, aut simili, à
laicis haberi nihil vetat: si non ad
longum nimis tempus concedan-
tur. & ante Concilium Latera-
nense solitas fuisse in feudum dari,
seu ad tempus, seu perpetuò, con-
stat de facto. Concilium autem
celebratum sub Alexandro III. vt
demonstrat Couarruias, *variar. Post Conc.
resol. l. 1. c. 17. n. 8.* magno conatu
eam praxim sublatam voluit. ad-
eo vt vetuerit ne laici decimam à
se possessam in alium laicum pos-
sent transferre. *c. prohibemus. X. de
decim.* sed nec ab ijs nomine pig-
noris in alias ecclesiasticas perso-
nas, & nisi à proprijs ecclesijs reci-
pi. *c. final. X. de decimis.* sed neque
à religiosis quibusdam priuilegia-
tis quocumque modo sine dioce-
sanorum assensu. *c. 3. X. de priuileg.*
quod generatim intelligendum
est de decimis perpetuò in feu-
dum laico concessis; non tantum
iniquo aliquo titulo detentis. *de
quo Coutier. præf. l. 1. q. 15.* vt in-
distinctè Innocentius III. *in c. cum
apostol. in fin. X. de his quæ sunt à
Prælat. de decimis quæ laicis in feu-
dum sunt concessæ monendum est;*
inquit, *laicus, qui decimam detinet, vt
eam restituat ecclesie, ad quam spectat.
quæ si fortè induci nequiverit, sed eam
cum diœcesani consensu alteri ecclesie
assignauerit, præsertim religioso con-
uentui constabit ipsa donatio. constare
non possit, si omnino iniquus
possessor esset laicus, quia talis v.
g. qui post Concilium Lateranen-*

^{1.}
Vt olim in
feudum
dari so-
leant.

^{2.}
Post Conc.
Lat. veten-
tur. (quod
non æque
seruatum.)

^{3.}
Qualiter à
laicis in
monachos
transferri
possint.

se acquisiuit per excommunicationem ad restitutionem compellitur. *c. ad hac. X. de decim.* & alias quod meum est sine facto meo non potest ad alium transferri. Solum non sine iusta causa, etiam in decimis. *c. plures. c. Statuimus. c. fin. 16. q. 1.* Ideoque decimæ post Concilium Lateranense in feudum concessæ ne quidem de consensu diocesani possunt religioso loco donari. *c. 2. §. sane. de decim. in 6.* cum autem infestatæ possint de consensu diocesani. *ibid.* & quidem solius. *d. c. cum apostolica.* si enim post d. Concilium concessio facta fuerit, irrita est; & concedens puniendus. *d. c. ad hac. c. quamuis. X. de decim.* ante illud Concilium autem possidentes, cum periculo possederunt. *d. c. prohibemus.* quoniam pleræque à Martello, & sequacibus non satis liquido titulo à laicis arreptæ fuisse creduntur, aliæ per concessiones apostolicas, ut in Hispanis asserit Guttieres *d. q. 15.* obtentæ. ut & in Flandria quadam à summis Pontificibus datæ ipsis Comitibus, in subsidium sumptuum ad pellendos barbaros necessariorum multæ autem possessæ fuerunt à successoribus sine scientia tituli primæ acquisitionis. quæ ob bonam fidem damnandi non erant periculum tamen rei alienæ subesse poterat. & ideo multa omnino diplomata pontificia reperias, quibus in religiosos translatio decimarum à laicis facta probetur: narrantur autem illi eas possedisse tanquam alios suos reditus, nullo alio acquisitionis titulo expresso, quasi ignoto. diocesano- rum etiam diplomata huiusmodi diuersa videas, quæ narrant emptas per monachos à laicis huiusmodi decimas; postquam tamen parochis oblatae fuissent; illi que negassent ad pretium soluendum sibi suppetere facultates; igitur in quadantenus dubijs possessoribus admittenda est translatio in monachos, ex consensu diocesano- rum; dum modo non constet post

Concilium Lateranense infestationes esse factas, nam & ante factas esse possessorem probare non oportet; sed præsumitur. Guttieres ubi *sup. q. 16.* diximus in *ur. Pont. nou. anal. de repar. eccles. n. 2. & 13. de decim. n. 2. 40.*

Cæterum nec crediderim ante Concilium Lateranense passim licitum fuisse decimas infendare. *de quo Couarruias & Guttieres ubi supra. pra. vsum inualuisse diximus de facto. hodie à Concilio, & Alexandro III. locis ubi supra. pra. d. c. ad hac. d. c. quamuis. X. de decim. prelati & diocesani vetantur decimarum concessionem laicis facere, aut confirmare. ne quidem loci, ubi Ordinarij retinuerunt facultatem alienationes ecclesiasticas permittendi. quoniam, esse generatim de rebus ecclesiæ non alienandis statutum sit, admittitur tamen exceptio necessitatis, aut evidentis utilitatis: prohibito tamen illa exceptionem istam non admittit. & sic curia Romana decimarum alienationem in laicos reijcit, etiam quando praeborum, aliorumque honorum admittit.*

Quod enim Monetæ *de decim. c. 5. n. 62.* de fructibus ait laico obmerita concedendis; nihil continet spirituale; & utilitas tantum quadam in concessionem venit; non ius ipsum, aut titulus decimarum. quod autem addit non per viam privilegij aut concessio- nis, sed alienationis, cum causæ cognitione fieri posse; per *c. 2. de his qui sunt à Prel.* nihil simile textus innuit, neque dicitur H. cuius decimæ concessio facta, an clericus an laicus fuerit, itaque clericum dicere *cum Glossa* oportet. ut iura concordent. itemque concessionem temporalem fuisse, *et eadem Gloss.* vel ante Conc. Lateranense factam. ut ius ipsum iterum non fuerit translatum, sed commeditas fructus dumtaxat.

Quibus expensis, quamvis per mores laicæ decimæ in commercium

veniant, nec seruetur antiqua, quã diximus prohibitio, tamen dicendum est permutationem quam fecit Capitulum S. G. cum laico de decimis I. & iure patronatus, seu personatus sui, cum decimis illius B. & confirmationem sui Episcopi non posse subsistere, obstante d. c. ad hęc. d. c. quamuis. c. peruenit. r. g. 4. c. bene quidem. c. venerab. de consir. vtili vel inutil. quamuis enim in vicem videantur recuperari ab ecclesia aliã decimã, pridem laicales; non tamen ideo harum alienatio permiffa est: nam & permutatio in hac materia ad alienationem pertinet. c. 1. X. c. vnic. de reb. eccl. non alienand. in extravag. com. idque multò magis hęc obtinet ideo, quod longè impar sit quã recuperatur ei, quã alienatur. ideoque laicus graue pretium superaddidit.

Vt omittamus ius patronatus & personatus hic spirituale esse, & titulum quo possedit Capitulum istas decimas: scilicet per incorporationem d. personatus, non verò ius patronatus & personatus venire in consequentiam vniuersitatis bonorum: sed esse causam dominij, & possessionis: ideoque multò magis illius iuris spiritualis laicum incapacem esse: & simoniam videri in contractum obrepere. quare antiqua forma erit, vt decima laicalis emeretur per ecclesiasticos à laicis; ius patronatus illis donaretur: at ecclesiastici donare non possunt, quia nec alienare.

Accedit quod diocesanus hic, de cuius assensu citati canones loquuntur, accipiendus sit de loco beneficij; non autem beneficiarij, quia quãuis dispositio beneficij spectans pertinet ad diocesenum situm. c. omnes basilica. 16. q. 7. non autem Ordinarium loci, vbi degit beneficiarius. adeoque incorporationis solutio spectat ad eum, qui vnire potest. quia eius est soluere cuius est ligare. ideoque non satis est Episcopum Ordinarium

Capituli consensisse; sed requiritur in quacumque dispositione consensus Ordinarij ipsius beneficij. & sic intelligendum venit Concilium Trid. circa vniones reuendendas f. 7. c. 6.

RESPONSVM III.

De Noualium immunitate à regularibus cultorum.

Ab annis plusquam 500. cepit monasterium de V. in eoque loco instituit, destituitque pastores, religiosos, pleno iure, sine Ordinarij interuentu: iuxta c. 3. 6. in eccl. x. de privileg. decimarum partem tertiam collegit, ac de terris, quas sumptu aut operis suis coluit, decimas non soluit. conuenitur à Capitulo B. quod alias duas tertias ibidem ex donatione quondam Arnulphi magni an. 961. ibidem obtinet, pro immunitate sua probanda, iuxta l. 1. & 2. D. de except. obijcit priuilegia, & possessionem.

Prius est Innocentij III. an. eius tertio, id est Domini 1200. 4. Kalend. Augusti. decimas, inquit, laborum seu nutrimentorum suorum spectis priuilegij Apostolica Sedis, extorserint: alterum 4. non. Augusti eiusdem anni. Sane, inquit, noualium vestrorum quæ proprijs manibus aut sumptibus colitis, sine de nutrimentis animalium vestrorum nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere presumat. priores literæ formulam non continent priuilegij; sed epistolæ excitatoriæ Ordinariorum: vt hos religiosos aduersus malefactores tueantur. inter malefactia autem referatur, quod quidam ab illis extorquebant decimas laborum, seu nutrimentorum suorum, quæ vox laborum generalis quidem est: c. ad audientiam. 12. X. de decim. in verb. vox quidam nam si intelligeremus tantummodo de noualibus vbi ponimus de laboribus, de noualibus

noualibus pontremus. verum non sunt illa verba concessiua priuilegij, sed vel desumpta ex antiquo formulari, seu stylo Curia, qui tunc fuerit secundum *c. ex parte. 10. X. d. decim.* vbi Alexander III. qui paululum antecessit Innocentium III. nolimus, inquit, latere, quod predecessores nostri ferè omnibus religiosi decimas laborum suorum concesserant. vnde natus ille stylus vsque ad Innocentium III. potuit durasse non mutatus; aut, quod etiam innuunt litera, ex querela religiosorum sumpta ea verba possunt censerì.

Et verò, vtrumque illud fuerit, connectuntur hæc verba; *spretis priuilegijs Apostolica Sedis*: quæ relatio facit vtrique, vt illa inesse censeantur referenti, cum omnibus suis qualitatibus: *l. affe. 1010. D. de hered. institu.* ergo videndum est quænam hîc sint priuilegia: speciale est huius monasterij illud, cuius verba mox recitauimus; & paucis diebus post alias literas expeditum fuit, & generaliter Alexander III. in *d. c. ex parte. predecessor noster.* inquit, *Hadrianus solis fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templarijs, & Hospitalarijs, decimas laborum suorum, quos proprijs manibus vel sumptibus colunt, indulgit: ceteris verò, vt de noualibus suis, quæ proprijs manibus vel sumptibus excolant, & de nutrimentis animalium suorum, & de horijs suis decimas non persoluant: quem sumus super his imitati. Quare is, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de alijs rebus ecclesie sue non possunt subtrahere, vel sibi aliquid vltius vndicare.*

Vt ergo Alexander III. generaliter, ita & vicinus illi Innocentius III. in hoc speciali priuilegio, à noualium dumtaxat decimis immunitatem concessit: præcipitque in *d. c. ex parte* Alexander ad res alias non extendi.

At verò arbitratorum quadam sententiâ duæ partes decimarum adjudicatæ sunt Capitulo, quo-

rumlibet fructuum crescentium in terra, quæ ecclesie Capituli aliquando fuit decimalis. etiam noualium presentium, & futurorum; sicut Arnulpho narratur concessa à Papis, de terris cultis & incultis: & sic conformiter *d. c. 1. de decim. in 6. vt noualium concessio ad ratam veterum redigatur, & videtur ratio d. sententiæ alludere ad causam c. cum in sua. 30. X. de decim.* vbi deciditur fructuum decimas spectare ad monasterium cui terra fuerat decimalis; quamuis tales fructus ante non perciperent. & sic in *d. sententiæ* addicuntur duæ partes quorumcumque fructuum presentium & futurorum, crescentium in terra, quæ ecclesie B. aliquando fuerat decimalis: seu quæ vnquam ei soluerint decimas, quamuis superuenirent fructus insoliti. & fieri potest quod aliquæ terræ nullas soluerint decimas, seu præscripserint immunitatem, quas excluderet *d. clausula*, & fortè fuerint tales aliqua nouales à religiosi de V. ad culturam redactæ, ad quas respexerint *d. arbitri*, nam et si mero iure, aut exterrone priuilegiorum suorum non sint liberi, potuerunt tamen siue ratione indultorum, quæ dantur ante tempus *d. c. ex parte. 10.* siue ex intellectu obsecro *d. literarum dazar. 4. kal. Aug.* possedisse noualium immunitatem & præscripserint secundum rationem *c. cum persona. de priuileg. in 6. vers. & si priuilegium exhibitum non ad plenum per se sufficit. & c.* quod eo magis procederet quo antiquius esse monasterium de V. doceri possit. vt ex historijs inuenitur antecedere datas omnium diplomatum pontificiorum, à d. Actoribus exhibitorum, quippe apud Snetro in *Annalibus Flandria ad an. 1123.* inuenitur Abbatem tunc 23. tribus annis administrasse abbatiam seu præposituram de V. adeoque ab anno 1100. antiquissimum autem munimentorum pontificiorum exhibitum.

2.
Omnibus ferè oim illorū immunitas regularibus concessa.

3.
Deinde restricta ad nouales.

4.
Arbitrorū sententiâ Capitulo duas tertias

exhibitorum à D. Actoribus non
peruenit vsque ad illam aetatem,
adeoque & antecedit fundatio
tempus d. c. ex parte. 10. X. de de-
cim. sed illo tempore sedit Pascha-
lis II. author c. decimas 16. q. 1. &
c. nouum. 2. X. de decim. quando re-
ligiosi de laboribus suis decimas
non soluebant. quo iure immuni-
tatem cepisse, & continuasse po-
test monasterium de V. de terris
suo sumtu cultis. quæ ætas etiam
superat omnes à d. Actoribus ob-
iectas decretales restrictiuas. sed
diploma Arnulphi datum an. 961.
& antiquius est, & complectitur
suprà d. clausulam de terris cultis, &
in cultis. sed quia & illa contra ius
est, in c. tua. §. fin. X. de decim. credi
posset dedisse contrariæ possessio-
ni causam: præsertim in primæua
incipientis monasterij paupertate,
& quoad noualia ab eo ad cultu-
ram redacta, cuius antecessores
DD. Actorum miserti fuerint, &
quoad illa per suam patientiam d.
clausulæ priuilegiariæ renuncia-
uerint. c. accedentibus. X. de priuileg.

Quibus considerationibus re-
motis, D. Reo valde obstarent
quæ suprà diximus, & quod etiam
qui priuilegia summa habent, ea
non possunt extendere ad posse-
ssiones post Concilium generale
acquisitas: c. nuper. X. de decim. quod
priuilegium super noualibus con-
cessum non extendatur ad noualia
antea ab alijs possessa: c. dudum. X.
de priuileg. c. 2. in princ. de decim. in
6. c. commissum. X. de decim. quod
generatim priuilegio priori non
derogatur per posterius, si de illo
non fiat mentio: c. ueniens de præ-
script. c. ex multipl. X. de decim. quam-
uis prius sit generale, posterius
speciale. gloss. & DD. in c. generi. de
reg. iur. in 6. Abbas in d. c. ueniens
& in c. 1. X. de rescript. quod po-
tentius debeat esse priuilegium
quàm sola possessio: & hæc tamen
illud operetur: d. c. dudum. & d. c.
2. quod non facta mentione illius
non creditur mutata voluntas: c.

cum olim. de re iudic. eoquæ minùs
præsumatur voluntas Conceden-
tis alteri ius tollendi: c. pastoralis.
de donat. & nominatim in materia
decimarum, d. c. dudum. d. c. 2. c.
commissam. 2. dilecti. c. quid nouale.
X. de verb. signif. adeoque cum in
d. priuilegio monasterij non fiat
mentio prioris concessionis, &
priuilegij Capituli DD. Actorum,
non videbitur huic per illud esse
derogatum. vt sic vtriusque expen-
sis rectè sit lata olim arbitraris sen-
tentia, & Ordinarij confirmatio
in lite exhibita, his quæ diximus
conformis.

Videamus nunc an intentioni
D. Rei ius commune sit confor-
me, quod de laboribus suis deci-
mas dare non teneatur, vt con-
tendit: ex c. 2. X. de decim. vbi ge-
nus nouum esse exactionis dicitur,
si clerici à clericis decimas exi-
gunt: ex c. decimas, 16. q. 1. quod à
monachis siue clericis communiter vi-
uentibus nulla ratio finit, vt milites
(seu nobiles, eorumue donatarij)
aut Episcopi (pro sua quarta Epif-
copali, aut vbi eis referuatæ sunt)
aut persona qualibet (seu parochi,
seu clerici ecclesias, altaria, seu
decimas obtinentes. c. quæsitum
1. q. 3.) decimas de laboribus seu in-
strumentis suis proprijs extorquere de-
beant. ita vt vlli generi decimatio-
num subijci illic vetentur. ex c.
quæsti. ibid. decreuit, inquit, sacer-
dote conuentus, vt Episcopi & Abbates
de agris, & vineis, quæ ad suum vel
fratrum stipendium habent, decimas
ad ecclesias suas deferri faciant, familia
verò eorum ibidem decimas suas vbi
infantes eorum baptisantur, &c. de-
niquæ quod multis locis videantur
priuilegia super decimis & immu-
nitate concessa restringi à iure, id
fieri in gratiam ecclesiarum pa-
rochialium: vt in multis locis ex-
primitur: adeoque Præpositum de
V. eius loci parochum primitiuum
fauorem & extensionem prome-
reri, non in odium illius limi-
tationes esse retorquendas. sed
enim-

7.
Obiecta
pro immu-
nitate re-
gularium.

5.
Antiquitas
religiosi vt
nullas deci-
mas sol-
uebant.

6.
Quomodo
priuilegia
immunita-
tum re-
stringenda?

enimvero Rebuffus *tract. de decim.* nouo, vt ait, intellectu d. c. 2. X. eod. interpretatur de decimis personalibus, ne eas clerici à clericis exigant. idque probat per exceptionē ibi subiunctam. De clericis, qui à clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, vt eis decimas debeant. Ceterum quia idem c. 2. est eiusdem Pontificis Paschalis II. cuius est d. c. decimas. 16. g. 1. quod agit de laboribus etiam, & nutrimentis, & d. c. quasi de agris & vineis loquitur, videtur etiam in illis accipiendū: & propterea rectius glossa in d. c. ex parte. 10. X. de decim. in V. laborum, distinguit tempora, canones, & decreta citat, secundum quæ magis minusve immunes fuerint clerici, ac religiosi. vt clarum est eos textus, qui in gloss. citantur, non nisi ex temporum ratione conciliari posse. prout & in priuilegijs, seu indultis ex temporum diuersitate contrarietatem soluit. c. ex parte 10. quod & satis innuit iure communi eos ad decimas obligatos alioquin esse, qui priuilegia, quæ iuris sunt relaxatio, & quasi priuata lex, petunt. quia frustra impetratur, quod iure communi conceditur. l. vnic. C. de thesaur. lib. 10. atque adeo omnes religiosi mero nunc iure ad decimas obligati forent; si non haberent priuilegia. Priuilegiorum causa fuisse credi potest, quod refrigerante charitate parochi, ad quos cum parochiarum & bonorum ecclesiæ distinctione decimæ transferant, non tam ad dominium olim quàm administrationem pro omni suo clero; vt diximus in Consult. canon. de decim. conf. 5. & 7. religiosi in prima sua paupertate non satis, prout opus erat, compatiendo erogabant, aut decimas nimis rigidè exigebant; ideo largiora immunitatum indulta sunt concessa: postea cœperunt religiosi ditescere, & parochi nimium per indulta alicubi depau-

perari, & egere; restrictaque sunt indulta. c. suggestum. c. nuper. X. de decim. c. 2. eod. in 6. vt latius restringuntur restrictiones in d. gloss. adeoque priuilegia hodie diligenter inspicienda sunt, secundum diuersitatem temporum diuersimodè concessa, eorumque tenore exactè seruandus. c. porro. X. de priuileg.

Quod illa autem hinc inde restringantur à iure, fieri id in gratiam parochorum, verum quidem est sæpius: sed & illud aliquando in gratiam aliorū, vt antiquorum possessorum. d. c. dudum. d. c. 2. vnde in plerisque indultis posterioribus solet inferi generalis clausula hæc: sine præiudicio iuris alieni. quam excusimus in Consult. can. tit. de decim. conf. 7. vt hac in causa non videatur prodesse quod monasterio de V. competat ius parochiale, quum diu priuilegium ecclesiæ B. concessum non fuit nimis damnosum. d. c. suggestum. X. de decim. vt si ex priuilegio Arnulphus, aut actores eius donatarij totas decimas ad se traxissent: tunc enim dimidium noualium relinquere debuissent parochi. d. c. 2. §. statum.

Restat igitur, vt videamus de possessione DD. Actorum, & D. Rei, & quidem cum præscribitur ius decimandi aduersus eum, cui iure communi decimæ competunt, eò quod præscribitur ius commune aduerfetur, requiritur possessio centum annorum sine titulo, 40. annorum cum titulo. de præscrip. in 6. tamen cum præscribitur aduersus priuilegiatum sufficit sola possessio continua 40. annorum. c. accedentibus. X. de priuileg. vbi aduersus Templarios, vtique maximè priuilegiatos. d. c. ex parte. c. nuper. X. de priuileg. allegata tantum fuit possessio 40. annorum, & quatenus si Abbas, inquit, & monachi sufficienter ostenderint, quod à Templarijs decimæ de terris prædictis per 40. annos continuè perceperint sine lite (nota) eos ad præstationem ipsarum Templarijs compellat.

8.
Ex temporum successu solucenda.

latis. fatis ergo erit & hic ostendere possessionem 40. annorum sine lite sibi mota à DD. A&oribus, seu eorum antecessoribus, & ratio est, quia d. c. accedentibus dispositio non procedit in vim præscriptionis, ad quam multa sunt requisita, sed præsumptæ renunciationis privilegij: quod amittitur facilius, etiam solo non vsu, quam id quod iure defertur. *cum enim*, inquit d. c. accedent. *tantotempore contra indulta privilegia decimas soluerint, eis renuntiasse tacite præsumuntur.* idem deciditur in *c. si de terra x. cod.* quod tantum 30. annos requirit ad præsumtionem, & decisionem huiusmodi.

Et quamquam hæc loca agant de privilegio immunitatis amittendo, quodque non idem sit in immunitate acquirenda sine titulo per non solutionem, sed requiratur ut ostendatur ratio exemptionis à decimis, *c. 24. x. de decim. Rebuff. cod. tit. n. 40. 41. 55.* tamen cum non tantum nõ solutio, sed & privilegium habetur, quod creditur sufficiens, etsi non sit, præstat tamen præscriptioni titulum, ut 40. annis procedat. *c. cum persona. de priuil. in 6.* atque ita hic eam immunitatem, quæ ex rigore verborum non competeret: ut quamvis decimæ non sint præscriptæ, cum eæ terræ non fuerunt monasterij operis & sumptibus cultæ, sed solutæ à colonis: præscripta tamen sit immunitas cultura monasticæ. *ut diximus.*

Ex ijs autem quæ testes deposuerunt, munimentisque exhibitis constat monasterium de V. de terris suis laboribus cultis fructus integros in horrea auexisse, immunes à decimis, & quidem sine lite. nec enim arguunt quidem DD. A&ores litem vllam motam esse desuper aduersus monasterium.

Negant siquidem eiusmodi culturam & immunitatem, seu non præstationem decimarum; eò quòd

semper ipsi elocarint suas decimas sine talium exceptione: sed id non fatis est. quia eiusmodi indefinitæ & generales elocationes intelliguntur commodè secundum ius & privilegia: ut vniuersalitas eorum sit tantum, quæ eandem habent rationem. *late Puscus, & ab eo citati in verb. Indefinita equipollet vniuersali, & quando secus. conc. 86.* Neque contraria DD. A&orum assertio tollit iuris præsumptionem, in qua fundatur dispositio d. c. si de terra. sicut in rebus incertis feudalibus v. g. & censualibus, territorijs, seu iuribus locatis vel venditis non singulorum descriptorum censuum, canonum, seu iurium territorij, catalogi, seu iuris debetur euictio, sed totius complexi iuris dumtaxat. ut in hæreditate vendita. *Papon. arrest. l. 11. tit. 4. arrest. 17.*

Rectius DD. A&ores arguunt aduersus testimonia, & munimenta: quia d. c. accedent. requirit, ut possessio sufficienter ostendatur, & si allegans in probatione defecerit, aduersarium iubet absolui.

Sed perperam aiunt in hac causa testes, qui olim monasterio famulati sunt, aut impræsentiarum famulantur, tanquam domesticos non censerì idoneos; quippe & ipsi clerici ac monachi in causa suæ ecclesiæ, aut monasterij testificari iure possunt. *c. cum nuntius. c. insuper, & qua vtrouique à gloss. late citantur. x. de testib.* præsertim cum hodie famuli mercede conducti, quamvis in eadem domo habitent, ex contractu tantum operas præstant, non gratis impensas accipiunt; nec eis vltra operas locatas imperari potest: & magis utique extranei censendi sunt, quam clerici, aut monachi in causa ecclesiæ suæ: cuius hi sunt partes & membra. cum ergo maior sit ratio repellendi testimonium clerici & monachi, quam famuli; & illud tamen admittatur; debet & famuli. *arg. à maiori. de cuius*

11.
De domesticis & olim famulis; an præbent?

M energia

10.
Examina-
tur posses-
sio & illius
probatio.

energja laicè Euerard. in loc. legal. A maiori; præsertim dum famuli esse pridem deserunt, quippe qualitas adiecta verbo intelligitur secundum tempus verbi. l. in delictis. §. si extraneus. D. de noxal. glem. si benef. de præbend. adeoque quod dici solet de testibus domesticis repellendis intelligitur de ijs, qui domestici sunt tempore quo testantur, seu repelluntur.

Sed & videndum est an testimonijs & munimentis possessio quadragenaria sit satis probata? & quidem ad illius probationem sufficit probare principium, & finem, & aliquid de medio. *gloss. in c. volumus. v. inconcussam. 16. q. 4. Bart. in l. Celsus. D. de usucapion. eo enim ipso continuas mediorum præsumitur, quod extrema probeatur. Menoch. de præf. l. 6. n. 1. & 13. sed si uterque possessionem inuicem contrariam præterdit, aut alter præscriptionem, alter interruptionem; ab utraque parte testes recipiuntur; & si probata fuerit interruptio, præscriptio non tenebit. c. illud. X. de præscript. vt etiam immemorialis præscriptio cesset si qua de visu vel auditu sit in contrarium memoria. l. 2. §. item labeo. D. de aqua pluuiæ arc. l. 8. arbiter. 28. D. de probat. probanda fuisse ergo à DD. Actoribus interruptio; si ante 40. annos, & de præfenti D. Reus probatit proprijs operis aut sumptibus monasterij terras fuisse cultas, & fructus à decimis immunes auectos.*

Et quamuis daremus DD. Actores habere intentionem fundatam in generalitate iuris decimandi, quoad duas tertias; tamen, quoniam & illud ex priuilegio natum est; & contra dispositionem iuris: *d. c. sua. §. fin. X. de decim. imperfectæ probationes facilius recipiendæ sunt. tum propter fauorem antiquitatis d. monasterij; vt passim illum DD. admittunt, tum propter causam d. c. ex parte. 10. X. eod. quod olim, omnibus ferè religiosis gene-*

raliter de laboribus fuerit concessa immunitas. vt ibidem dicitur. imò tum ea quasi iuris communis fuerit, d. c. decimas. cum monasterium hoc construeretur. eoque in principio fundationis illa vfos nostras fuisse; aut has terras olim ad culturam redegitse; & sic ex noualibus (quales semper exinde manent c. fin. X. de decim.) decimas non soluisse, probari censetur. arg. à communiter accidentibus. quia præsumitur pro eo, quod communiter accidit. aded vt onus probationis contrariæ transferatur in aduersarium. Euerard. ubi sup. l. c. communiter accidentibus. & quia mutatio non faciliè præsumitur. Menoch. de præf. 37. 42. & alij pluribus seqq. eiusdem libri. & ex præfenti possessione præsumptio inferitur de præterita. Moneta tract. de decim. c. 5. n. 74. 103. & seqq.

Si tamen imperfectior probatio videbitur, poterit redire D. Reus ad possessorium iudicium, quod semper licet. *l. naturaliter. §. ni il commune. D. de acquir. poss. vlt. que ad causam conclusam. c. pastoralis. X. de caus. poss. & propri. vt hac causa per appellationem retracta est ad statum litis contestatæ. l. furri. 6. D. de his qui not. infam. In possessorio autem iudicio postiorum aliquot annorum possessio satis sufficiet ad securiorem spem victoriæ. ac deinde, si repetatur causa petitoria, secundum possessorem erit iudicandum, nisi de iure petitoris euidenter doctum erit. §. retinenda. in §. de interd.*

De regularibus.

RESPONSVM I.

De Donatis, an sint veri religiosi?

VT quis verè sit religiosus requiritur professio explicita, vel

12.
Probandū
principium
& finem.

13.
Medium
an præsumitur,
an interruptio?

14.
Antiquitatis
fauorabilis
probatio.